57

PRO INAUGURATIONE STUDIORUM

Oratio habita in Aedibus Romanae Sapientiae

XIV. Kal. Novemb. Anni cIↃ IↃ cc xxxvi.

A THOMA EMALDO J. U. PROFESSORE

EMINENTISS. AC REVERENDISS. CARD.

NERIO CORSINO

SS. D. N. CLEMENTIS XII.

FRATRIS FILIO.

ROMAE

EX TYPOGRAPHIA VATICANA

M. DCC. XXXVI.

SUPERIORUM PERMISSU.

Digitized by Google

Digitized by Google

EMINENTISS. AC REVERENDISS. PRINCIPI.

THOMAS EMALDUS.

CVm aliqui ex Amicis rogarent me, ut quam habueram pro renovatione Studiorum Orationem exſcriptam traderem, eo quod pleri-

Digitized by Google

que tunc temporis ruſticationis cauſa ab Urbe aberant, ut eis morem gererem ſatius duxi receptam tam heic, quam alibi conſuetudinem imitari, ejuſdemque publicum periculum facere. Quaerenti vero Patronum, cui inſcriberetur, obtulit ſeſe mihi Cardinalis ampliſſime ſumma humanitas, & ſingularis animi Tui benignitas, cui confidens, ſpero Te munuſculum hoc, quale quale illud ſit, non fore dedignaturum. Etenim ſi a magnis Principibus munera non ex rei pretio, ſed ex animi affectu penſantur, a nemine certe gratius Tibi donum unquam poterit obvenire. Siquidem nemo eſt (confidenter dicam) qui prae me colat, atque obſervet egregias animi Tui dotes,

quas

Digitized by Google

quas tamen ſilentio praeteribo, ne videar occaſionem ſumpſiſſe ad laudandum; cum mihi dumtaxat propoſitum ſit, obſequii mei, & grati animi ſpecimen aliquod Tibi exhibere. Novi profecto virtutem Tuam, quae aditus omnes inani commendationi, & gloriae ſemper praecluſit; magni enim, atque ſapientis eſt animi glorioſas praedicationes deſpicere, bonoque conſcientiae teſtimonio laetari. Praeterquamquod tale argumentum & vires ſuperat meas, & longum nimis deſideraret ſermonem, quam qui brevi Epiſtola poſſit comprehendi: verum neque Epiſtola, neque Oratione eſt opus; nam res tuas geſtas Fama ubique percelebrat, multoque magis celebrabit impoſte-

Digitized by Google

rum . Illud tantummodo reticere nequaquam poſſum, quod etiam ab invitis benevolentiam extorquet, niveum videlicet candorem animi, incorruptam morum integritatem, & eximiam quamdam Tui, Tuaeque nobiliſſimae Domus in tanta Dignitate, atque Splendore Modeſtiam, & Comitatem; quae nobis quidem omnibus admirationi eſt, futuris autem ſaeculis erit exemplo. Faxit Deus, ut Te diu nobis, & Reipublicae ſalvum, ſoſpitemque conſervet. Vale.

Romae Idibus Nov.

CU-

Digitized by Google

CUpienti mihi intermiſſam Studiorum rationem pro mea facultate ſolenni hoc die revocare, animiſque primum illum ardorem, quem ferialis ocii dulcedo reſtinguere ſolet, rurſum injicere, venit in mentem intolerabilis quorumdam Philoſophorum in contemnendis legibus impudentia, ad quam retundendam publicam hanc adhortationem neceſſariam, perutilemque fore ſum arbitratus. Obtinuit jamdiu apud veteres Protagorae, Tranſymachi, Pirrhoniſque ſententia, qui Jus omne non in ratione, ac natura poſitum, ſed in Hominum opinione, & Principis arbitrio fundatum exiſtimabant, ea praeſertim de cauſa, quod non idem apud omnes honeſtum reputaretur, & juſtum, neque eaedem apud quoſcumque Populos ſancitae leges reperirentur; quinimmo ſaepius contingeret, ut in una eademque Civitate quidquid hodie licitum erat, cras mutata lege injuſtum evaderet, & iniquum. Exploſa jamdudum totius Graeciae ſuffragiis periculoſa nimis opinio volitat modo per ora, & commentarios quorumdam noſtrae aetatis nebulonum, qui opinionum novitate abrepti, peſſima dogmata ex Spinoſae, & Hobbaei fontibus hauriunt, atque ad peſtem bonis artibus inferendam, arcendoſque a Jurisprudentia ingenuos literarum amatores apud incautam

venditant Juventutem. Eo enim noſtrorum devenit calamitas temporum, ut videantur antiquis multo pejora: negabant illi palam Deum eſſe, & ſicuti Mundum ex fortuita athomorum congerie conglutinatum putabant, ſic quoque Juſtitiam ex opportunis ad Regum aſſentationem, & commodum placitis confici omnem arbitrabantur; unde nihil mirum, ſi eorum ineptia deſpectui eſſet populis, atque ludibrio. At Recentiores noſtri Deum quidem eſſe fatentur, ſed eum vel tyrannidis inſimulant, vel ocioſum ſibi ſpectatorem, atque errorum noſtrorum irriſorem confingunt. Quod ſi mihi tanta vis eſſet, & copia dicendi, quantam & conſpectus veſter, & argumentum poſtulare videntur, gratularer maxime hodiernum illuxiſſe diem, quo iſtorum audaciam reprimere, & quidquid ornatiſſimis Adoleſcentibus fucum facere poſſit, de medio tollere totis enitar viribus. Neque erit profecto cuicumque aliarum facultatum Patrono contemnendus hujus noſtrae exercitationis fructus, ſi pernicioſa haec diſputatio, quae ad omnes quoque liberales artes ſolet diſſuere, ex hoc ſacratiſſimo loco ejicietur, exterminabitur. Ut vero voti mei compos exiſtam; utar primum auctoritate veſtra, Illuſtriſſimi Patres, qui in maximis Reipublicae negociis pertractandis ab aequo Naturae conſilio, a certiſſimis divinarum, humanarumque rerum documentis ſapientiam veſtram deſumitis; utar praeſentia veſtra, Clariſſimi Profeſſores, qui non inanis, & vacuae, ſed verae, ſolidaeque Philoſophiae propugnatores eſtis; utar denique facultate mihi in hoc florentiſſimo Muſarum domicilio ad dicendum data, dum oſtendero Juriſprudentiae principia pectoribus noſtris adeo inſita, atque defixa, ut non ab alio fonte, quam a Natura poſſint derivari. Quod ſi effecero, nemo ſane tunc dubitabit, num a Philoſophorum placitis, & Principum poteſtate Jus omne dependeat, num adeo verum ſit vulgare illud ex Carneade, & Epicuro, quod tyrannidem potius, quam juſtam exprimit poteſtatem,

Uti-

Utilitas juſti prope mater, & aequi.
itaut quam facile voluntas mutatur, eadem viciſſitudine mutari poſſit lex, & norma vivendi. Erigite ergo animos AA. OO. nihil enim videtur optabilius cuiquam contingere poſſe, quam abſconditum unumquemque in ſinu ſuo Sapientiae theſaurum retegere, qua nihil dulcius, nihil praeſtantius, nihil utilius.

Atque illud in primis mihi laetandum Jure video, quod non imperitae multitudini verba facienda ſint, ſed in excelſa hac Sapientiae aede, quo conveniſtis, praeſtantiſſimi Profeſſores, quorum nempe diſciplinas in hujus argumenti teſtimonium adferre potero: nam quotusquiſque eſt veſtrum, qui naturae, mentiſque vires perſcrutando, non intelligat humanam nationem ad diſciplinas omnes formandas ducem fuiſſe, atque magiſtram. Figmenta ſunt Poetarum, quae narrantur de Baccho, Oſiride, & Mercurio, de Cerere, & Eſculapio, aliiſque artium Inventoribus: nemo unquam de Coelo elapſus, qui praecepta, & artes nobis adduceret: non ab Aſtrorum curſu caſu perſpecto Aſtronomi, non a fortuitis morborum curationibus Medici, non a conſtituendis agrorum finibus Mathematici facti ſunt, ſed a Natura, quae capta ab externis rebus occaſione, principia rerum animadvertere coepit, motuſque corporum obſervando, eoſdem referre ad aeternas, atque immutabiles veritates, in quibus nunquam falleretur. Quod ſi haec eadem noſtra mens, & ratio aditum, atque viam munivit ad eas facultates comparandas, ſine quibus Societas Hominum aliquando ſtetit, quaeque ad honeſtam, civilemque vitam, & ſi opportunae, minime tamen neceſſariae erant, quid dicendum erit de Jurisprudentia, & legibus, quarum dempto praeſidio, nemo potuiſſet in humana ſocietate verſari, nemo ea ſentire mutuae converſationis commoda, ad quae perquirenda providum hoc animal rationis plenum, atque conſilii a Natura inſtitutum eſt, atque proclive.

Multo enim antequam florerent Aegyptii , Phoenices, Chaldaei , quibus Aſtronomiae , Matheſis , univerſaeque naturalis Philoſophiae prima rudimenta referuntur accepta, Homines, qui

Volgivago vitam tractabant more ferarum ,
Nec commune bonum poterant ſpectare , nec ullis Lucr.
Moribus inter ſe ſcibant , nec legibus uti ,

in Urbes traductos fuiſſe novimus . Vetuſtiſſimum quoque illud de ſuaviſſimo Vate commentum , quo Amphionem ferunt cytharam quadam die modulatum ſaxa , & lapides ad Thebas aedificandas traxiſſe . Quid aliud erat Amphion , niſi Sapiens , qui non ſaxa , & lapides , ſed homines rudes , & impolitos ad Thebas aedificandas , ideſt ad ſocietatem formandam non cantus dulcedine , ſed vera , ſolidaque utilitate propoſita non hortabatur , ſed pelliciebat , non vocabat , ſed pertrahebat ; unde Venuſinus ille Philoſophus :

Silveſtres Homines Sacer , Interpreſque Deorum
Caedibus , & victu foedo deterruit Orpheus ;
Dictus ob id lenire tigres , rabidoſque leones .
Dictus , & Amphion Thebanae conditor Arcis
Saxa movere ſono teſtudinis , & prece blanda
Ducere , quo vellet .

An vero credimus eo ſeſe recepiſſe , ubi non coerceretur praedonum licentia , parentes , liberi , uxores ab impiorum nequitia non defenderentur ? An ea loca incoluiſſe , ubi neque fides in contractibus , neque in cuſtodiendis domus , & agri finibus ulla ſecuritas ? Excurrite veterum , recentiumque temporum hiſtorias ; nulla unquam Societas ſine legibus ſtetit , nulla Civitas ſine ſanctionibus , nullus Populus ſine regimine , neque quempiam reperiri poſſe exiſtimo in humanis rebus adeo hoſpitem , & peregrinum , qui non intelligat vinculum Societatis , tranquillitatem Reipublicae pendere a legibus . Sunt enim , ut ait Cicero : *Fundamentum libertatis , fons aequitatis , mens , & animus , & conſilium , & ſententia*

tia

tia Civitatis poſita in legibus, *atque ut corpora noſtra ſine mente*, *ſic Civitas ſine lege*, *ſuis partibus*, *ut nervis*, *ac ſanguine*, *& membris uti non poteſt*. Cedo nunc : unde nam primi Societatum Authores Jurisprudentiam exſcripſere? Unde didicere? Quis tum Licurgus, Solon, Numa Pompilius tulerat legem? Quis de Jure reſponderat? Haec porro, haec eadem mens, & ratio, quam nos quoque ſortiti ſumus, eos hortabatur, atque monebat, quid ſentiendum, agendumve foret ad honeſte, ſapienter, ſanćteque vivendum:

. . . . *Fuit haec ſapientia quondam* Horat.
Publica privatis ſecernere, *ſacra prophanis*,
Concubitu prohibere vago, *dare Jura maritis*,
Oppida moliri, *leges incidere ligno*.

Quo enim pacto res aliter fieri potuiſſet? Putas ne Sapientiſſimum Naturae Auctorem Deum, eumdemque veritatis amantiſſimum ſempiternas nobis offudiſſe tenebras, atque inter inevitabiles errorum ſcopulos perpetuo agitare? Verum non aliter fieret; ſi indito nobis ab ipſo Deo vehementi Societatis deſiderio, juxta antiquiſſimum illud poſt primum Hominem conditum Divinae vocis Oraculum : *Non eſt bonum Hominem eſſe ſolum*, conſtitutiſque in ſumma alienae operae, & auxilii indigentia (nemo enim ſibi ſolus ſufficere poteſt) non ſuccendiſſet inde in animo quaedam lumina, quaſdam cordibus noſtris non inſculpſiſſet leges, quibus, & Societatis continendae, & publicae tranquillitatis ſervandae rationem noſceremus. Quod ſi tantam, Deus bone, in Mathematica facultate colligimus veritatum ſegetem, quantam vix memoria poſſumus ſuſtinere, & tamen nihil Mathematicis doctrinis cum Juſtitia commune; quanto magis credendum eſt nos minime errare in cognoſcendis iis, quae ad honeſtam, ſapientemque vitam ſternere nobis viam videntur? Sed quid plura; quidnam ſibi volunt, obſecro, intimi illi ſenſus, quos vel nolentes percipimus: conſulat unuſquiſque ſe ipſum: erumpunt enim ex illis Naturae

latebris Divinae illae voces, quas etiam inviti audire cogimur, docent, hortantur, ſuadent, quid nobis, quid aliis debeamus. Una haec ſufficiat pro omnibus: *Quod tibi non vis, alteri ne feceris*. Quae *non ſcripta, ſed nata lex, quam non didicimus, accepimus, legimus, verum ex Natura ipſa arripuimus, hauſimus, expreſſimus, ad quam non docti, ſed facti, non inſtituti, ſed imbuti ſumus*; quapropter ſeipſum excruciare videtur animus, tunc cum aeſtuat, aut vehementi abreptus affectu in contraria dilabitur, ſibique illud Medeae repetere. *Video meliora, proboque,*

Deteriora ſequor.

Atque utinam, utinam ad hanc rationis regulam mores componeremus; non enim tot tricis, atque ambagibus Juſtitia, & Pax Reipublicae eſſet involuta, non ex hac aequi, bonique arte efficerent ſibi quidam avaram verborum nundinationem, & vocabulorum aucupium ad evertendas fortunas Hominum, & patrimonia huc illuc pro arbitrio transferenda. Recurreret ſane aurea illa feliciſſima aetas:

. . . . . . *quae vindice nullo*
Sponte ſua ſine lege fidem, rectumque colebat.
Poena, metuſque aberant, nec verba minantia fixo Ovid.
Aere ligabantur, nec ſupplex turba timebat
Judicis ora ſui, ſed erant ſine Judice tuti.

cujus nimirum domina *Juſtitia Coelo miſſa cum Sancta Fide*
Terras regebat mitis, atque humanum genus. Senec.

Sed mihi nonnullos audire videor. Fuere quorumdam populorum mores adeo immites, & barbari, nulla ut iis legum Sanctitas, nulla Juſtitia nata videretur. Furtum Spartae praemio donatum: Connubia promiſcua: Eſus humanae carnis apud Indos in deliciis erat: Senes apud Scythas ad levandos ſenectutis languores interfecti: Rapinis multi, atque internecionibus nunc quoque vitam agunt. Quid ergo narras de ingenita nobis Juſtitia? Non illud mihi propoſitum eſt,

ut

ut vobis oſtenderem quoſcumque Homines ad naturalis Sapientiae normam vitam exigere, ſed omnes debere, omnes poſſe; atque ſibi animum adjungendo inventuros, unde Virtutum, & Jurisprudentiæ praecepta derivent: quare quid ad rem noſtram, ſi nonnulli libidinum aeſtu obcoecati cujuſcumque generis Connubia admiſerunt; ſi rerum cupiditate illecti implacabile bellum humano generi indixerunt, ſi Recti ſpecie decepti latrocinium pro induſtria in pueris commendabant, ſatius ducebant Senes finire vitam, quam dolores inter, atque aegritudines ſaepius mori. Quid porro, ſi quis ſibi ſumpſiſſet probandum, ſapientiſſimum Naturae Conditorem Deum corpora noſtra ita conformaſſe, ut viderent oculi, audirent aures, olfacerent nares, nonne illum irrideremus, qui oculorum coecitatem, aurium ſurditatem, nervorum vitia huic ſententiae opponeret; nonne innumerabilis eorum multitudo, qui a Mundi origine, ad hanc uſque diem hujuſmodi infirmitatibus laboraverunt, nihil penitus argumenti veritatem minueret? An fortaſſis beneficum illud aſtrum, quod Terrarum Orbem ſplendore ſuo alit, atque animat, an inquam non lucet, quod aliquis oculorum aciem concluſerit, ut lumen ejus non videat? An ignis non ardet, eo quod aqua extinguitur; aqua non defluit, quod curſus ejus repagulis interrumpitur, atque ſuſpenditur. Idem, idem eſt profecto, ſi quis haec vitio dederit humanae rationi, quae tribuenda potius ſocordiae noſtrae, noſtrae iniquitati. Latet enim abdita pectoribus noſtris immanis quaedam fera Bellua Virtutis, Sapientiaeque omnis fructus aſſueta depaſcere, quam mirum in modum ſic exprimebat Claudianus:

At ſibi cuncta petens nil collatura cupido
In jecur, & tractus imos compulſa receſſit,
Quae velut immanes reſerat dum Bellua rictus,
Expleri, paſcique nequit: nunc verbere curas
Torquet avaritiae, ſtimulis nunc flagrat amorum,

Nunc

Digitized by Google

Nunc gaudet, nunc moeſta manet, ſatiataque rurſus
Exoritur, caeſ.ique redit pollentius Hydra.

Quam rem, dum ſedulo apud me reputarem, rurſum obverſata eſt animo maxima, Deus optime, tui Bonitas, atque Clementia, qui nempe talem Naturam nobis es impertitus, a qua Honeſtatis, & Juſtitiae officia Jure repoſceres. Quomodo autem, bone Deus, potuiſſent haec praeſtari a nobis, ſi perturbationes hujuſmodi de tranquillo ſtatu mentis dejicerent Hominem, ſi eo pacto, quo videmus in aegrotis obtenebrari aliquando mentem, lumenque rationis imminui ob vitioſos, atque corruptos humores, ſic quoque ex hac corporis contagione rationis ſplendor obſcuraretur. Niſi vero exiſtimare velimus juſtiſſimum ſceleris ultorem Deum jubere coecos, ut perdifficiles, & ſalebroſas vias inſiſtant; captos membris, & omni motu corporis impeditos, ut ſurgant, & adverſus hoſtem depugnent acriter. Erit ne quiſpiam, qui non dicam ſapientiae, ſed ſanitatis aliquid habeat, & haec de ſumma Dei bonitate audeat affirmare! Quare Jure dicas cum Ambroſio: *Quod cupiditatis motibus impoſuit regale mentis imperium Deus, ut omnes ſenſus, motuſque hominis ejus vigore, & poteſtate regerentur.* Quod nedum nobis, quibus lux verae Religionis affulget, ſed etiam Philoſophis, atque Paganis fuit plane perſpectum. Unde Socrates, Pythagoras, Plato, coeterique, qui primum moralis Philoſophiae ſtudio ſe tradiderunt humanae mentis receſſus certa ſpe penetrare ſunt auſi, ibique praecepta bene vivendi, reiquepublicae adminiſtrandae diligenter inveſtigabant. Ad hanc enim non fallaces ſenſuum illecebrae alliciunt, non blandae pertrahunt voluptates, non corporum venuſta facies invitat, ſed ipſa ipſa Naturae vox, atque conſilium, verbo Deus ipſe hortatur, atque inflammat. Quare vix vobis vitio dederim, ſapientiſſimi Legumlatores, Minos, Charonda, Lycurge, Numa Pompili, ſi veſtras leges, veſtramque Philoſophiam Diis referebatis acceptam: Divinum enim prorſus eſt,

Digitized by Google

eſt, atque immortale, quidquid Naturae vox, quam nec ambitio, nec cupiditas expreſſerit, nobis ſincere rogantibus praecipit. Quod ſi tantum profectum pollicentur ſibi Adoleſcentes cordatis praeceptoribus ad erudiendum concrediti, quanto majorem nobis polliceri debemus, ſi Naturae conſilio noſmet erudiendos committamus: occurrunt ſaepe Jureconſulti in ſuorum ſtudiorum ratione ſeſe oblectantes, cum vel a Bartoli, vel a Cujacii ſchola egrediantur, paucos adhuc inveni, qui ab ipſam et ratione verae, ſolidaeque Jurisprudentiae principia ſe deprompſiſſe glorientur, ut mihi videantur plerique exiguos rivulos conſectari, Sapientiae fontem negligere.

Igiturne (obmurmurabunt aliqui) tot annos in ſtudio Jurisprudentiae more in ſcholis recepto fruſtra conſumpſimus? Dicendumne laborioſiſſimis Jureconſultorum commentariis inutilem navaſſe operam, qui nihil a Natura petendum arbitrabamur? Magiſtra hac, quam tu proponis, nihil opportunius, nihil commodius? Semper nobiſcum manet, peregrinatur, ruſticatur, & tamen quamplurimi adeo rudes ſunt, atque imperiti, ut Jurisprudentiam, neque a primo limine ſalutaverint. Siquis veſtrum **A A.** in hunc modum mecum ageret, quaeſo in medium progrediatur, in arenam hodie mecum deſcendat; animum hunc ego rudem interpellavero; quod ſi ea non fateatur invitus, quae ipſum conficiant, turpiter cauſa cadere non erubeſcam. Tu ergo qui lucis hujus uſura frueris, undenam hoc eſſe, quod habes, accepiſti? Num te ipſum aliquando ex umbra, & nihilo eduxiſti? Haud profecto! Vivis igitur, quia ſuprema quaedam te condidit cauſa, quod enim ſortiri per te non poteras, per te ipſum conſervare nequires. Venerari ergo fas eſt Conditorem, Servatoremque tuum, & reverenter colere quaecumque mandaverit; nam primum hoc humanae mentis monitum Divinum eſt, Divinumque Jus reſpicit, a quo Sapientiam omnem ex-

exordiamur oportet; unde Cicero: *Nulla eſt natio tam immanis, & barbara, cujus mentem non imbuerit aliqua Deorum opinio*. Poſtquam cognoviſti, quod eſſes, cogita nunc, obſecro, quid ſis? Os enim, manus, & membra, quae vides, quaeque contrectas, exangue cadaver & ipſum habet. An eſt quidquam aliud in te abſconditum, quod ſenſuum obtutus effugiat? Eſt, eſt profecto vis quaedam cogitans, quae ſentit, intelligit, amat, odit, per quam loquimur, vivimus, movemur, quaeque nihil aliud eſt praeter id, quod nos ipſi ſumus. Quidnam autem nos inter, & coetera animantia diſcriminis? Nam Maris, & Foeminae conjunctio, Liberorum procreatio, atque nutritio communia quidem cum Brutis videntur. At aliorum Societatem expetere, tranquillae, beataeque vitae deſiderio incendi propria ſunt Hominum: Bruta ſiquidem animalia perpetuum bellum exagitat; nulla aquaticis cum terreſtribus concordia, nulla Volucrium cum Piſcibus amicitia; Accipitrem timet, & fugit Columba; Agnum inſequitur Lupus, & lacerat; Coete innumeros ejuſdem domus ſocios, atque participes inglutiunt, & devorant. At neminem laedere, ſuum cuique tribuere, beneficiis ſibi alios obſtringere, afflictis ferre praeſidium, atque levamen, nemo eſt Hominum, qui non noverit, qui non ſentiat: Hinc virtutum laudes, & praemia; vitiorum poenae, atque vituperatio. Quod enim genus Hominum non comitatem, non gratum animum, & beneficii memorem diligit, quae natio maleficos, quae crudeles, quae ingratos non aſpernatur, non odit. Praeterea circumſpiciat unuſquiſque ſeipſum, & fateatur, num ea ſaltem, quae ad victum, & veſtitum neceſſaria ſunt, ſibi ſolus poterit comparare: alii ex aliis vivimus, & quanto videntur aliqui opulentiores, tanto magis alienae ſunt opis indigentiores. Quapropter inventi contractus antiquiſſimi Juris-gentium dicti, quod omnium gentium in uſu fuerint, ſine quibus ſocialis vitae conſuetudo periret. Fluunt ergo ex ipſa Na-

Natura Jus Divinum, * atque Jus-gentium, ſi tantummodò animadvertamus, & qui ſumus, & unde ſumus: viden' nunc, quoniam Orationis ratio ſic poſtulat, quomodo ex eodem fonte Jus publicum, & privatum deſcendant. Cujas es rogo te? Romanus, an Athenienſis? Quicumque ſis; juſtae Dominationi obtemperandum: Principis tui reverenda majeſtas: Patriae tuae Jura, & fines cuſtodiendi: ſi neque Rempublicam, quantum in te eſt, evertere, neque Hominum Societatem labefactare, neque tuae ipſius felicitati volueris adverſari. Poſtquam enim ob nimiam multitudinem diviſa fuerunt imperia, unaquaeque Provincia propria ſibi Jura ſancivit, Magiſtratus conſtituit, conſuetudines admiſit, ex quibus communi quadam neceſſitate effectum, ut oriretur Jus publicum; quo ſi non teneremur, heu quanta clades, quanta pernicies! Quis Domum, & Patriam ab impetu hoſtium defenderet? Quis Magiſtratus, Legum vindices, & Sacerdotes haberet in pretio? Nullum eſſet tutum commercium; nulla certa dominatio; violarentur Legati; moenia Urbis traſcenderentur; ſpoliarentur delubra; Arae ſubverterentur; Juſtitia, & Pietas undequaque exularet. Tandem, ut finis ſit, qua in Urbe es natus? Quibus cum Civibus tibi res eſt? Si Romanus: Patriam ergo Romanorum exerce poteſtatem; Romanorum ſolennibus matrimonium contrahe, Teſtamentum ſcribito; Romanis actionibus tua perſequere. Quae enim majorum uſus, & conſuetudo firmavit; vel Princeps decreto ſuo ſancivit, fundamenta ſunt, quibus tranquillitas, bonumque Reipublicae ſuperſtruitur.

Cavete vero, ne hoc a me dictum putetis, perinde ac parvi faciam ſapientiſſimos Legum Magiſtros, neque probem aſſiduam eorumdem lectionem, cuique enim ſtudioſo ſemper auctor fui, & ſum, ne praeſtantiſſimos eorum commentarios ſibi e manibus patiatur excidere. Teſtor vos diſci-

* Hic non intelligimus illud Jus, quod Theologi Poſitivum vocant.

ſcipuli mei, num ſemper hortatus fuerim, ut Cujacium, Hottomanum, Duarenum, Alciatum, Bartolum quoque, Baldum, alioſque diurna, nocturnaque manu verſaretis; illud tamen monitos volui, ut non ab his Jurisprudentiae principia peterentur, ſed a Natura: Ad rationis trutinam eorum perpendantur ſententiae, auxilio ſint quotieſcumque agitur, vel de vocum intelligentia, vel de hiſtoria legum, & temporum, atque nos edoceant, quid tum eſſet in uſu, qua de cauſa, cur nunc inoleverit: & ſimilia: ſed rationem ſtatuamus nobis in exquirenda veritate ducem, atque magiſtram: admittantur in conſilium in maxima rerum obſcuritate, in difficili legum verſione, diviſione, vel conjunctione, ſed non ipſis ratio, humanumque turpiter mancipatum miniſtret ingenium.

Quae cum ita ſint: videtis Auditores optimi, quam evidenter pateat Jus omne non in opinione, ſed in Natura poſitum, neque tam facile pro arbitrio poſſe immutari. Leges enim etſi aliquando mutantur, eam tantum ob cauſam Jure mutantur, ob quam ſancitae fuerunt: juſtam facit legem bonum, & tranquillitas Reipublicae, eadem ipſa quoque aliquando faciet injuſtam: quam rem, ut concludam utar verbis Valerii Tribuni Plebis apud Livium: *Ego quemadmodum his legibus, quae non in tempus aliquod, ſed perpetuae utilitatis cauſa in aeternum latae ſunt, nullam abrogari debere fateor, niſi quam aut uſus coarguit, aut ſtatus aliquis Reipublicae inutilem fecit, ſic quas tempora aliqua deſiderarunt leges, ut ita dicam, & temporibus ipſis notabiles eſſe video, quae in pace latae ſunt, plerumque bellum abrogat, quae in bello pax, ut in navis adminiſtratione alia in ſecunda, alia in adverſa tempeſtate ſunt uſi.* Haec porro fuit illa Romanorum prudentia, qua partum bello Terrarum Orbis Imperium Juris communione, legumque majeſtate continuerunt; etenim ſi quam habet moralis Philoſophia dignitatem, ea omnis in eorum Jurisprudentiam translata eſt, qui ſicuti virtutibus,

& ar-

& armis coeteris gentibus praeſtiterunt, ſic multo magis ſapientia, & legibus. Domuit virtus bellica Romanorum totum ferme Terrarum Orbem; at eorum Juriſprudentia *Terrarum Orbem*, ut ajebat Vopiſcus, *fecit eſſe Romanum*. Dederunt arma in eorum poteſtatem omnes ferme Mundi incolas ſubjectos, atque captivos; fecerunt leges ampliſſimae hujus Urbis Cives, atque Cuſtodes:

Roma eſt in gremium victos, quae ſola recepit, Claud.
Humanumque genus communi nomine fovit
Matris, non Dominae ritu, Civemque vocavit.
Quem domuit, nexuque pio longinqua revinxit;
Hujus pacificis debemus moribus omnes,
Quod veluti patriis regionibus utitur hoſpes,
Quod cuncti Gens una ſumus.

Quamobrem evenire nunc etiam videmus, atque laetamur, quod nulli unquam genti contigiſſe memoriae proditum eſt; everſa ſiquidem Republica, & antiquo Terrarum Orbis Imperio, eorum tamen leges ſubſiſtunt adhuc, & pro ſanctis habentur ab iiſdem Populis, qui cladem Romano nomini inferentes, Romanorum tamen legibus parere maluerunt, quam ſuis imperare. Enimvero quidnam aliud ſunt Romanorum Jura, niſi naturalis aequitas, ſive illud immutabile Juſtum, & Bonum, quod inter omnes Homines ratio conſtituit, literis traditum, atque vulgatum, quod in eorum libris *Ratio ſcripta* ſaepius vocatur, cujus vim, & poteſtatem, aut ſentire oportet; aut omnem penitus exuere humanitatem. Eja igitur, praeſtantiſſimi Adoleſcentes, virtutum ſemina, quibus a Natura imbuti ſumus, pravis moribus, falſiſque opinionibus non conteramus. A rationis conſilio neque hauſti cum lacte Nutricis errores, neque Poetae, neque populus, & multitudo nos revocet. Ad coeteras vero publici, privatique Juris notiones quod attinet, laetamini vos ea in Urbe natos, in qua ex puris Romanorum Fontibus petendae ſunt, quibus in primis

cau-

Digitized by Google

l. 8. ff. de cap. min.

cautum erat: *Ne civilis ratio naturalia Jura corrumperet*. Si quid vero in rationis indagine perplexum, atque obſcurum appareat, vel propter varias ſententias Hominum difficile, & involutum, Gratiae Deo Optimo habendae ſunt maximae, quod nos ea in Religione voluerit eductos, & altos, quae quidquid ex imbecillitate noſtra peccatum erit, emendat, & corrigit, atque praeſertim, quod tuo CLEMENS XII. Juſtiſſimo ſub regimine vivimus, cujus ad Thronum Pietas, & Ratio tantum conſiliariae, & adjutrices accedunt. Dicebam.

Digitized by Google